

1570

harum alteram relictam jnvenit, ad alteram cum gladiis cominus dimicatum: hostibus turpiter fusis, in eorum conspectu munimenta, atque aggeres diruta, ac solo æquata sunt.

*Christiano-
rum ducum
consilia de
bello admi-
nistrandō &
auxiliis in
Cyprum im-
portandis.*

Dum hæc gererentur, de ratione belli administrandi, deque auxiliis in Cyprum importandis diversis sententiis in Creta disceptabatur. Auriās a profectione in Cyprum abhorrebat: *Nequē anni tempus, neque in Veneta classe imminutum Epirotarum, ac militum numerum permettere, ut tuto in hostem iri posset, qui, exercitu e Cilicia in Cyprum traducto, de nostrorum adventu solicitus, nihil, quod ad firmandam classem spectaret, prætermisurus videretur: tutos receptus habere, remige abundare, copiis terrestribus subnixam, ab omni periculo immunem fore.* Contra magnum a nostris classibus iter per hostium maria emetiendum; complures triremes claudicantes, ac parum instratas, adversis ventis ac fluctibus exponendas; infidas stationes, anni tempus in hyemem præceps, sœvientia tempestatibus maria: tot tantasque vires, quibus christiana respublica in primis niteretur, incertis rerum casibus minime objiciendas: neque Venetis ipsis conducere, ut nulla rei egregie gerendie spe, amici Regis classis adeo a Neapolī, atque Sicilia abduceretur, ut Numidarum prædonum incursibus paterent ea regna. Hæc ita se habere, arbitrantem, nequaquam tamen a Marci Antonii Columnæ sententia recessurum. Columna, qui initio, nulla mora interposita, statim in Cyprum iter maturandum censuerat, cadavera, quæ Amphimaleo portui circumjecta litora oppleverant, intuitus, ob idque Venetam classem fere exarmatam ratus, plurimum pristini ardoris remittere videbatur, veritus, ne, suscepto frustra itinere, neque tuto cum hoste configli, neque obsessis subveniri opportune posset. In eamdem sententiam Sfortia Pallavicinus, ac Jacobus Celsius, classis legatus, rapti, Cypri liberandæ, hostiumque immanes conatus avertendi unicam rationem rebantur fore, si vel recta in Hellespontum contenderetur, aut Eubœa universis viribus invaderetur: propinqui periculi metu percussos hostes, ut suis rebus succurrerent, classem, copiasque a Cypro amoturos; ac si celerrime res conficeretur, haud difficile esse, ut quæ Cypriis damna illata fuerant, præclara aliqua urbium, aut oppidorum accessione rependerentur.

Zan-